

VINDICIAE RHESI TRAGOEDIAE.

CAPUT PRIMUM.

HISTORIA CRITICA RHESI TRAGOEDIAE.

i. Qui scribere quavis de re induxerit in animum et novam suam proferre sententiam, eum non solum tenere omnia ea, quae ad hunc locum faciant, par est, sed merito postulari etiam videtur, ut quas ob causas priorum placita non potuerit probare, exponat. Etenim cum ea aetatis huius sit indoles, ut improba novandi cupidine ducti, quae sanxerint maiores, evertere conentur homines nostri, nulla fere habita ratione, emendentne an corrumpant instituta vetera, et sola novi specie allecti, eam in litteris saltem legem observandam censeo, quanquam neglectam video saepenumero, ut, si quid novi statuere velis, cur, quae prius credita sint, haud satisfaciant, quam diligentissime demonstres. Nam cum ipse, quo melius, quid priores erraverint, perspexeris, veriora poteris intelligere cavereque tibi ab errore, tum ii, quibus placita tua probari velis, si erroribus niti vulgarem opinionem probe docueris, faciliores praebent aures et trahi se ad sententiam tuam patientur.

ii. Quae si vera sunt, nescio an ei negligenda sint minime, qui de Rheso dramate scripturus sit. Nam bene